



Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem Sancti Thomæ Tomvs ...

Complectens Quæstiones à XXVII. vsque ad LXIV. & à Quæstione CVI.
vsque ad CXIV.

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1620

Disp. CXXX. An nomen persona significet rationem realem communem
tribus diuinis personis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81000](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81000)

legitur. hoc articulo quia nomen personæ, non negationem formaliter, sed aliquem modum positum significat, ut latius ostendemus in 3. part. quæst. 3. artic. 2.

Ceteri Scholastici putant, nomen, *Persona*, aliquid positum significare, in eius tamen explanatione variant. Hentius enim quodlibet 5. quæst. 6. censet, nomen hoc significare intentionem communem omnibus personis, cumque in eadem questione dicat duplicem esse intentionem, primam & secundam, & hanc posteriorem esse ens rationis, quale est genus, species & indiuiduum, videtur plane asserere, nomen, *Persona*, significare ens rationis; quia persona indiuidua substantia rationalis naturæ. Hæc etiam opinio tribuitur Durando in 1. distinct. 2. quæst. 1. n. 5. ibi tamen solum asserit, hoc nomen significare intentionem, non explicans, utrum primam, an secundam; infra vero videbimus, an eius sententia ab opinione S. Thomæ, quæ verior est, aliquo modo differat.

Tertia igitur sententia est, nomen hoc significare aliquid reale commune secundum rationem omnibus personis ita docent Alexad. 1. part. q. 56. membr. 4. art. 2. Bonauent. in 1. distinct. 25. artic. 1. quæst. 1. S. Thomæ & Caietan in hoc articulo, Capreol. in 1. distinct. 25. quæst. 1. art. 1. Marsilius in 1. quæst. 17. art. 2. concl. 2. nec ab ea opinione differt Durandus, ut inferius explicabitur, quam recentiores etiam Thomistæ sequuntur. Sed adhuc, & hi inter se dissentiunt. Nam recentiores aliqui cum Caietano affirmant, nomen, *Persona*, significare aliquid positum reale commune secundum rationem tribus personis Trinitatis, quod quidem non solum sit superius quiditativè tribus personis, ut significantur hoc nomine, *Persona*, sed etiam, ut significantur nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, ita ut hæc predicatio sit quiditativa, *Pater auctus est persona*, & hæc, *Paternitas est personitas*. Fundamenta vero præcipua huius opinionis ad hæc duo reduci possunt, primum, aut nomen, *Persona*, prædicatur denominatiue de Patre & Filio, & Spiritui sancto, aut quiditativè; nam alio modo dici non potest; non prædicatur denominatiue, quia si hoc modo solum prædicaretur, cõcretum diceretur de concreto, nempe persona de Patre, sed non abstractum de abstracto, videlicet personitas de relatione; sic enim videbimus in alijs denominatiuis, in quibus cõcretum de concreto prædicatur, sed non abstractum de abstracto, ut album de pariete; non tamen albedo de abstracto parietis; atqui de relationibus etiam in abstracto prædicatur personitas; dicimus enim, *Paternitas est personitas*, ergo illa prædicatur in quid; quæ enim in abstracto de alijs prædicatur, ad quiditatem pertinent. Quo fit, ut eodem gradu nomen, *Persona*, quod concretum significat, prædicatur de Patre; quo personitas de paternitate dicitur. Eodem argumento probatur significatum nominis, *Persona*, quiditativè prædicari de Petro, aut de quouis altero homine singulari, non nomine, *Petrus, Paulus, &c.* Vnde non minus hæc est quiditativa, *Petrus est persona*, quam hæc, *Persona Petri est persona*. Idem de personitatibus singulari ratione dicendum est.

Deinde, aut ratio communis personæ, & personitatis in Deo contrahitur ad esse huius, & illius, ut in 1. partem Tom. II.

lius personæ, & personitatis per absolutum, aut per relatum; vel denique per aliquid utriusque commune; per aliquid commune non potest, ut patet; quia illud, quod contrahitur, debet esse singulare; per absolutum etiam nequit fieri, quia alioqui sequeretur, personas diuinas constitui, & distinguui proprietatibus absolutis, quod absurdum esse probabitur infra disputat. 13. cap. 3. Superest igitur, rationem personæ & personitatis vniuersim contrahi ad hanc, & illam personitatem, & personam diuinam relatione; ergo signum est illa duo prædicari quiditativè de relationibus, quibus adesse talis, & talis determinatur; id enim quod contrahitur, quiditativè dicitur de contrahente. Cetera argumenta, quæ fieri solent pro hac sententia, solum probant, relationes personales esse personitates; non autem de ipsis, ut significantur nomine relationis prædicari quiditativè significatum nominis, *Persona*.

CAPVT II.

Nomen, *Persona*, significare quid commune tribus relationibus diuinis, non quiditativè, sed denominatiue, verior sententia est.

Multo probabilior mihi semper visa est sententia, quæ docet, nomen, *Persona*, significare quidem conceptum communem huic, & illi personæ, ut significantur eodem nomine; non tamen significare rationem communem quiditativè paternitati, & filiationi, ut significantur his nominibus relatiuis. Pro hac sententia non possumus referre Scholasticos præcedenti cap. allegatos; illi enim excepto Caietano, & Durando, solum docent, nomen *Persona*, significare conceptum communem tribus personis, quod vno, & alio modo potest intelligi. Solus Caietan. peculiarem secutus est opinionem, quam iam retulimus: Durandus vero pro hac nostra sententia explicari potest. Sed, ut eam ratione confirmemus, notandum est in prædicamento substantiæ esse primam, & secundam substantiam: Prima est indiuiduum illius, secunda vero quodcumque vniuersale prædicatum usque ad generalissimum: nomen autem, *Substantia*, & significatum illius commune est prima, & secunda substantia. Quo fit, ut nomen, *Substantia*, non significet aliquid commune essentialiter, vel quiditativè; nam generalissimo illius prædicamenti, & singularibus illius nihil potest esse commune essentialiter, & quiditativè præter ens, præsertim, quod proximè respiciat præter, & secundam substantiam, hoc est indiuidua, & vniuersalia prædicata substantiæ, ut satis liquet. Nomen igitur, *Substantia*, in vniuersum significat modum quandam realem, qui quasi denominatiue de prima, & secunda prædicatur. Desumitur autem hæc demonstratio ex actu, & quasi officio substantiæ, quod est subsistere, vel subflare, hoc est, sub alio esse, quod commune est primæ, & secundæ substantiæ, hoc est ei, quod est, primo & secundo subflare. Eodem modo, *Hypostasis*, seu *Subsistentia*, significat, quid commune Petro, & Paulo, quasi denominatiue, hoc est, singulariter, & indiuiduè existere. Quare hæc est differentia inter nomen, *Persona*, nomen, *Petrus*, quod hoc significat ipsam rem, cui conuenit denominatio personæ; illud vero denotat ipsam denominationem, & modum subsistendi incommunicabiliter, Tum

etiam

etiam à significato nominis, *Petrus*, abstrahitur ratio naturæ communis essentialiter, sed ab hoc, & illo significato personæ solum potest abstrahi ratio communis denominatiue Petro, & Ioanni: tametsi essentialis sit huic & illi personæ, ut nomine, *Persona*, significatur.

Persona non significat quiddam rationum conceptum verum.

Deinde aduertendum est, personam definiri per indiuiduum, seu incommunicabile: hæc autem duo non significant conceptum quiditativum verum, sed denominatiuum: est enim indiuiduum veluti passio propria cuiusque rei in ratione entis, sicut bonum; passio autem non prædicatur in quid sed denominatiue: sic ergo non mirum est, si ex hac etiam parte nomen, *Persona*, rationem denominatiui significet Petri, & Ioannis; quamuis sit essentialis huic, & illi personæ, ut nomine, *Persona*, significatur. Atque ideo rectè admonet Scotus in 1. distinct. 23. quæst. 1. in fine, à tribus personis Trinitatis, Patre videlicet, Filio, & Spiritu sancto non posse abstrahi conceptum commune quiditativum: bene tamen communem quasi proprium earum: proprium autem denominatiue prædicatur, ut proximè dicebamus.

Scotus.
8.

Vera sent. confirmatur.

Hinc ergo rectè probatur nostra sententia: nam cum nomen, *Persona*, formaliter, & expressè significet rationalis naturæ incommunicabilem substantiam, idem significabit persona diuina, nisi quod in locum rationalis naturæ, diuina debet substitui: in hac autem definitione licet ipsa natura diuina, aut deitas, sit connotatū secundum propriam rationem essentialē, significatum tamen directum est denominatiuum respectu Patris, Filij, & Spiritus sancti; est enim modus ille subsistendi per modum actus, est etiam ratio incommunicabilis, seu indiuidui, quæ est veluti passio, ut explicatum est, quare totum significatum denominatiue de persona dicitur; ideoque existimo, Durandum dixisse, nomen, *Persona*, significare intentionem communem tribus, aut pluribus personis; non quidem quam Logici vocant secundam, quæ est ens rationis, sed quia denominatiue de Petro & Ioanne, de Patre, & Filio, & Spiritu sancto prædicatur. Vtrum autem paternitati, filiationi, & spirationi actiue, & passiue, deur aliquis communis conceptus relationis, an non, dicemus infra disput. 159. cap. 7.

Durand.

CAPVT III.

Solutio argumentorum tertie sententiæ.

9. Aliquando prædicatur denominatiue abstractum de abstracto.

Ad primum vero Argumentum tertie opinionis respondeo, nomen, *Personalitas*, abstractum prædicari de relationibus diuinis in abstracto, nihilominus ipsis non esse essentialē; neque enim quævis forma, quæ abstracte prædicatur de aliquo subiecto, est illi essentialis, sed aliquando est denominatiua. Nam rationalitas dicitur differentia, & risibilis proprietas; & tamen ratio differentie, rationalitatis, nec ratio proprietatis risibilitatis essentialis est. Sic etiam de hæcitate (ut ita loquar cum Scoto) Petri, aut Ioannis prædicatur abstracte indiuiduatio; & tamen non est illi essentialis, sed veluti proprietas, sicut etiam ratio indiuidui non est essentialis Petro, vel Ioanni, ut probatum est. Dicimus igitur abstractum de abstracto aliquando denominatiue prædicari: tunc præsertim, quando denotamus quasi actum, & officium illius, ut si de hæcitate dicamus, ea reddi Petrum, vel Ioannem singularem,

Scotus.

& indiuiduum, & ipsam esse singularitatem, vel rationem singularis hæc enim non prædicatur essentialiter de hac, & illa hæcitate, si ergo in proposito paternitas, seu filio in diuinis dicitur personalitas denominatiue, quia personalitas significat rationem singularitatis, & indiuiduatis, quæ ultimo natura diuina red dicitur incommunicabilis; ratio autem singularitatis est veluti passio ipsius relationis, non ergo mirum, si res diuinæ relationes habeant commune quoddam prædicatum denominatiuum.

Ad secundum respondeo, rationem communem personæ contrahi in diuinis essentialiter, & quiditativè veluti per differentias proprias, per hæc & illam rationem. Nam per relationes contrahitur ratio personæ, non sicut per proprias differentias, sed sicut per materiale subiectum, quod denominant: hæc autem, & illa ratio personæ, quæ contrahitur communis ratio personæ, ex se essentialiter absoluta est, tametsi denominatiue dicatur de latina persona; id quod significat Augustinus lib. 7. de Trinitate, cap. 6. ubi probat, personam ad se significari, non ad aliud, intelligit enim, expressè, & formaliter; ob id tamen non negat, de relatione denominatiue prædicari.

Neque satis est, si dicatur nomen, *Persona*, significare aliquid abstractum ab absoluto, & relatione; quia impossibile est, esse aliquid commune absolute, & relationi, nisi solo nomine, ut optime probat Durandus in 1. distinct. 23. quæst. 1. n. 2. & ratio esse potest huiusmodi. Si conceptus illi communis abstractus est à relatione, & absolute, sequitur non esse ad aliud; impossibile autem est, aliquid concipi non ad aliud, & non concipi absolute, & ad se; illud enim est absolute, quod à termino soluitur, quia nihil aliud respicit: ergo non potest aliquis conceptus realis esse communis relatiue, & absolute. Quo etiam argumento probatur, non posse rationem accidentis vniuocam esse, vel vnum conceptum obiectionum illius assignari commune nouem predicamentis, quantumvis dicatur, analogicè ab inferioribus eam participari, quia non potest ille conceptus non esse absolute, ut probatum est: absolute autem nequit contrahi essentialiter per differentias relationis; ergo nihil potest esse commune secundum rationem absolute & respectiue; sed eodem nomine accidentis proximè significatur relatiue, & reliqua octo predicamenta. Deinde cum Augustinus loco allegato dicat personam significari ad se, non ad aliud, nullo modo asserere possumus conceptum personæ abstractum esse absolute, & respectiue, sed absolute esse.

Ex dictis sequitur discernere esse inter hæc tria nomina, *Petrus*, *Quidam homo*, *Persona*, quia nomen, *Petrus*, significat rem ipsam, quæ constituitur per personam, connotat autem naturam humanam in qua subsistit, sed, *Persona*, eandem significat rem, denominatiue tamen, & connotat naturam; at, *Quidam homo*, significat directè naturam hominis cum proprietate, & modo subsistendi, quem connotat, ut docuit S. Thomas in hoc articulo. Durandus quæst. doctrinæ. 6. & 7. qui tacito nomine reprehendit Durandum sanctum, quasi oppositum docuerit, cum tueretur id non dixerit; tametsi Caietanus, nescio quæ ratione deceptus, putauerit, ex sententia S. Thomæ idem significari hoc nomine, *Quidam homo*, quod nomine, *Persona*.

Deinde

Deinde sequitur, quare quidam homo, quod indiuiduum vagum vocari solet, non constituitur à logicis sextum prædicabile; quia reuera nihil commune significat, nisi denominatiue ratione connotati, sicut vox. *Indiuiduum*, sic autem sufficienter ad quintum prædicabile reducitur.

QUESTIO XXXI.

De his, quæ ad vnitatem, vel pluralitatem pertinent in diuinis.

ARTICVLVS I.

Vtrum sit Trinitas in diuinis.

Ad primum sic proceditur. Videtur, quod non sit Trinitas in diuinis. Omne enim nomen in diuinis, vel significat substantiam, vel relationem. Sed hoc nomen Trinitas, non significat substantiam; prædicaretur enim de singulis personis. Neque significat relationem, quia non dicitur secundum nomen ad aliud. Ergo nomine Trinitatis non est vtendum in diuinis.

2. Præterea. Hoc nomen, Trinitas, videtur esse nomen collectivum, cum significet multitudinem. Tale autem nomen non conuenit in diuinis, cum vnitas importata per nomen collectivum sit minima vnitas. In diuinis autem est maxima vnitas. Ergo hoc nomen, Trinitas, non conuenit in diuinis.

3. Præterea. Omne trinum est triplex, sed in Deo non est triplicitas, cum triplicitas sit species inæqualitatis. Ergo nec Trinitas.

4. Præterea. Quicquid est in Deo est, in vnitatem essentiam diuinam: quia Deus est essentia. Si igitur Trinitas est in Deo, erit in vnitatem essentiam diuinam. Et sic in Deo erunt tres essentielles vnitates, quod est hæreticum.

5. Præterea. In omnibus, quæ dicuntur de Deo, concretum prædicatur de abstracto. Deitas enim est Deus, & paternitas est Pater. Sed Trinitas non potest dici trina: quia sic essent nouem res in diuinis, quod est erroneum. Ergo nomine Trinitatis non est vtendum in diuinis.

Sed contra est, quod Athanasius dicit, quod vnitas in Trinitate, & Trinitas in vnitatem veneranda sit.

Respondetur dicendum, quod nomen Trinitatis in diuinis significat determinatum numerum personarum. Sicut igitur ponitur pluralitas personarum in diuinis, ita vtendum est nomine Trinitatis: quia hoc idem, quod significat pluralitas indeterminatam, significat hoc nomen, Trinitas determinatam.

Ad primum ergo dicendum, quod hoc nomen, Trinitas, secundum Etymologiam, quæ in 1. parte To. II.

giam vocabuli videtur significare vnam essentiam trium personarum, secundum quod dicitur Trinitas, quasi trium vnitas. Sed secundum proprietatem vocabuli significat magis numerum personarum vnus essentia, & propter hoc non possumus dicere, quod pater sit Trinitas: quia non est tres personæ. Non autem significat ipsas relationes personarum, sed magis numerum personarum adinuicem relatarum: & inde est, quod secundum nomen ad aliud non refertur.

Ad secundum dicendum, quod nomen collectivum duo importat, scilicet pluralitatem suppositorum, & vnitatem quantitatis, scilicet ordinis alicuius. Populus enim est multitudo hominum sub aliquo ordine comprehensorum. Quantum ergo ad primum, hoc nomen Trinitas, conuenit cum nominibus collectivis, sed quantum ad secundum differt, quia in diuina Trinitate non solum est vnitas ordinis, sed cum hoc etiam vnitas essentia.

Ad tertium dicendum, quod Trinitas absolute dicitur. Significat enim numerum ternarium personarum. Sed triplicitas significat proportionem inæqualitatis. Est enim species proportionis inæqualis, sicut patet per Boethium in Arithmetica. Et ideo non est in Deo triplicitas, sed Trinitas.

Ad quartum dicendum, quod in Trinitate diuina intelligitur, & numerus, & personæ numeratæ. Cum ergo dicimus Trinitatem in vnitatem, non ponimus numerum in vnitatem essentia, quasi sit ter vna, sed personas numeratas ponimus in vnitatem naturæ, sicut supposita alicuius naturæ dicuntur esse in natura illa. E conuerso autem dicimus vnitatem in Trinitate, sicut natura dicitur esse in suis suppositis.

Ad quintum dicendum, quod cum dicimus, Trinitas est trina ratione numeri importati, significatur multiplicatio eiusdem numeri in seipsum, cum hoc quod dico trinum, importet distinctionem in suppositis illius, de quo dicitur. Et ideo non potest dici, quod Trinitas sit trina: quia sequeretur, si Trinitas esset trina, quod tria essent supposita Trinitatis: sicut cum dicitur, Deus est trinus, sequitur, quod sunt tria supposita deitatis.

Notatio circa Articulum.

Conclusio est affirmans, circa quam obseruandum est, hic non definitur à S. Thoma numerum personarum, esse videlicet tres, nec plures, nec pauciores, id enim sequitur ex dictis in q. 27. & ex ijs, quæ dicenda sunt infra q. 41. artic. 1. Sed docet Doctor Angelicus, nomen, *Trinitas*, ita Deo conuenire, sicut nomen, *Pluralitas*, quia vnum sub alio

L 2 con-

conclinetur, sicut pluralitas, & nomina numeralia non significant in Deo negationem, ut præcedenti quæstione articulo 1. Sanctus Thomas probauit, eodem modo docet de hoc nomine Trinitatis, quod etiam est nomen numeri. Quocirca eadem proportionem, qua de terminis numeralibus docuimus disputat, 129. de hoc etiam philosophari debemus.

ARTICVLVS II.

Utrum Filius sit alius à Patre.

178.

dist. 5. c. 2. q. 2. art. 1.

Libro 7. de Trinitate. c. 2. som. 3.

Lib. 1. de fide ad Gratianum c. 2. ante medium som. 2.

Hylar. 7. de Trinitate. non longe à fine.

De fide ad Petrum c. 2. post medium som. 3.

Citatur 4. sentent. in Magist. dist. 12. in fine. Libro 1. de Trinitate. cap. 2. in princip. som. 3.

AD secundum sic proceditur. Videtur, quod filius non sit alius à patre. Alius enim est relatiuum diuersitatis substantiæ. Si igitur filius est alius à patre, videtur, quod sit à patre diuersus. Quod est contra August. 7. de Trinitate, ubi dicit, quod cum dicimus tres personas, non diuersitatem intelligere volumus.

2. Præterea. Quicumque sunt alij ab inuicem, aliquo modo ab inuicem differunt: igitur filius est alius à patre, sequitur, quod sit differens à patre. Quod est contra Ambros. in 1. de fide ubi ait, Pater & Filius deitate vnum sunt, nec est ibi substantiæ differentia, neque vlla diuersitas.

3. Præterea. Alienum ab alio dicitur. Sed pater non est alienus à filio. Dicit enim Hylarius in 7. de Trinitate, quod in diuinis personis nihil est diuersum, nihil alienum, nihil separabile. Ergo filius non est alius à patre.

4. Præterea. Alius & aliud idem significant: sed sola generis connotatione differunt. Si ergo filius est alius à Patre, videtur sequi, quod Filius sit aliud à patre.

Sed contra est, quod Augustinus dicit in libro de fide ad Petrum. Vna est enim essentia Patris, & Filij, & Spiritus sancti, in qua non est aliud Pater, aliud Filius, aliud Spiritus sanctus, quamuis personaliter sit alius Pater, alius Filius, alius Spiritus sanctus.

Respondeo dicendum, quod quia ex verbis inordinate prolatis incurritur hæresis (ut Hieronymus dicit,) ideo cum de Trinitate loquimur, cum cautela, & modestia est agendum: quia, ut Augustinus dicit in primo de Trinitate. Nec periculosius alicubi erratur, nec laboriosius aliquid queritur, nec fructuosius aliquid inuenitur. Oportet autem in his quæ de Trinitate loquimur, duos errores oppositos cauere, temperate inter utrumque procedentes: scilicet errorem Arrij, qui posuit cum Trinitate personarum Trinitatem substantiarum: & errorem Sabellij, qui posuit cum vnitatem essentiarum vnitatem personarum. Ad euitandum igitur errorem Arrij, vitare debemus in diuinis nomen diuersitatis, & differentiarum, ne tollatur vnitatem essentiarum. Possumus autem uti

nomine distinctionis, propter oppositionem relatiuam. Vnde sicubi in aliqua scriptura authentica, diuersitas, vel differentia personarum inuenitur, sumitur diuersitas, vel differentia pro distinctione. Ne autem tollatur simplicitas diuinæ essentiarum, vitandum est nomen separationis, & diuisionis, quæ est totius in partes. Ne autem tollatur æqualitas vitandum est nomen disparitatis. Ne vero tollatur similitudo, vitandum est nomen alieni, & discrepantis. Dicit etiam Ambros. in lib. de Trinitate. quod in patre, & filio non est discrepans, sed vna diuinitas. Et secundum Hylarium (ut dictum est) in diuinis nihil est separabile. Ad vitandum, vero errorem Sabellij, vitare debemus singularitatem, ne tollatur communicabilitas essentiarum diuinarum. Vnde Hylar. dicit 7. de Trinitate. Patrem, & Filium singularem Deum prædicare sacrilegum est. Debemus etiam vitare nomen vnici, ne tollatur numerus personarum. Vnde Hylarius in eodem libro dicit, quod à Deo excluditur singularitas, atque vnici intelligentia. Dicimus tamen vnum filium quia non sunt plures filij in diuinis. Neque tamen dicimus vnum Deum, quia pluribus deitas est communis. Vitamus etiam nomen confusi, ne tollatur ordo naturæ à personis. Vnde Ambros. dicit in 1. de Trinitate. Neque confusum est, quod vnum est, neque multiplex esse potest, quod indifferens est. Vitandum est etiam nomen solitarij, ne tollatur consortium personarum. Dicit enim Hylarius in 4. Trinit. Nobis neque solitarij, neque diuersus Deus est confitendus. Hoc autem nomen alius masculine sumptum non importat, nisi distinctionem suppositi. Vnde conuenienter dicere possumus, quod filius est alius à patre, quia scilicet est aliud suppositum diuinæ naturæ, sicut est alia persona, & alia hypostasis.

Ad primum ergo dicendum, quod alius, quia est sicut quoddam articulare nomen, tenet se ex parte suppositi. Vnde ad eius rationem sufficit distinctio substantiæ, quæ est hypostasis, vel persona. Sed diuersitas requirit distinctionem substantiæ, quæ est essentia. Et ideo non possumus dicere, quod filius sit diuersus à patre, licet sit alius.

Ad secundum dicendum, quod differentia importat distinctionem formæ. Est autem tantum vna forma in diuinis, ut patet per id, quod dicitur Philip. 2. Qui cum in forma Dei esset. Et ideo nomen differentiarum non proprie competit in diuinis, ut patet per autoritatem inducendam. Vitatur tamē

Damasc. nomine differentiarum in diuinis personis, secundum quod proprietates relationum significatur per modum formae. Vnde dicitur quod non differunt ab inuicem hypostases secundum substantiam, sed secundum determinatas proprietates. Sed differentia sumitur pro distinctione, ut dictum est.

Ad tertium dicendum, quod alienum est quod est extraneum & dissimile. Sed hoc non importatur cum dicitur, alius. Et ideo dicimus Filium alium a Patre, licet non dicamus alienum.

Ad quartum dicendum, quod neutrum genus est informe, masculinum autem est formatum, & distinctum, similiter femininum. Et ideo conuenienter per neutrum genus significatur essentia communis, per masculinum autem & femininum aliquid suppositum determinatum in communinatura. Vnde etiam in rebus humanis, si queratur. Quis est iste? respondetur, Socrates. Quod nomen est suppositum. Si autem queratur, quid est iste? respondetur, animal rationale & mortale. Et ideo quia in diuinis distinctio est secundum personas, non autem secundum essentiam, dicimus, quod pater est alius a filio, sed non aliud. Et est conuerso dicimus quod sunt vnum, sed non vnum.

Conclusio est, *Filius dici potest alius a Patre masculine, sed non aliud in neutro genere.* Circa hanc conclusionem, & doctrinam huius, & sequentis articuli disputatione sequenti ex professo discedendum est.

ARTICVLVS III.

Vtrum dictio exclusiua, Solus, sit addenda termino essentiali in diuinis.

Ad tertium sic proceditur. Videtur, quod dictio exclusiua, solus, non sit addenda termino essentiali in diuinis, quia secundum Philosophum 2. Elench. Solus est qui cum alio non est. Sed Deus est cum Angelis & sanctis animabus. Ergo non possumus dicere Deum solum.

2. Præterea. Quicquid adiungitur termino essentiali in diuinis, potest prædicari de qualibet persona per se, & de omnibus simul. Quia enim conuenienter dicitur sapiens Deus, possumus dicere, pater est sapiens Deus, & Trinitas est sapiens Deus. Sed Augustinus in 6. de Trinitate dicit: Consideranda est illa sententia, qua dicitur, non esse Patrem verum Deum solum. Ergo non potest dici solus Deus.

3. Præterea. Si hæc dictio, solus, adiungitur termino essentiali, aut hoc erit respectu prædicati personalis, aut respectu

Vazquez in 1. partem To. II.

aut prædicati essentialis. Sed non respectu prædicati personalis. Quia hæc est falsa, solus Deus est pater, cum etiam homo sit Pater. Neque etiam respectu prædicati essentialis, quia si hæc esset vera, solus Deus creat, videtur sequi, quod hæc esset vera, solus Pater creat. Quia quicquid dicitur de Deo, potest dici de Patre. Hæc autem est falsa, quia etiam Filius est creator. Non ergo hæc dictio, solus, potest in diuinis adiungi termino essentiali.

Sed contra est, quod dicitur 1. ad Timoth. 1. Regi seculorum immortalis inuisibili soli Deo.

Respondeo dicendum, quod hæc dictio, Solus, potest accipi ut categorica, vel syncategorematica. Dicitur autem dictio categorica, quæ absolute ponit rem significatam circa aliquod suppositum, ut albus circa hominem, cum dicitur homo albus. Si ergo sic accipiatur hæc dictio, solus, nullo modo potest adiungi alicui termino in diuinis, quia poneret solitudinem circa terminum, cui adiungeretur: & sic sequeretur Deum esse solitarium. Quod est contra prædicta. Dictio vero syncategorematica dicitur, quæ importat ordinem prædicati ad subiectum: sicut hæc dictio, omnis, vel nullus. Et similiter hæc dictio solus, quia excludit omne aliud suppositum a consortio prædicati: sicut cum dicitur, solus Socrates scribit, non datur intelligi, quod Socrates sit solitarius, sed quod nullus sit ei consors in scribendo: quamuis cum eo multis existentibus. Et per hunc modum nihil prohibet, hanc dictionem, solus adiungere alicui essentiali termino in diuinis, in quantum excluduntur omnia alia a Deo, a consortio prædicati. Ut si dicamus, solus Deus est æternus, quia nihil præter Deum est æternum.

Ad primum dicendum, quod licet Angelis, & animæ sanctæ semper sint cum Deo: tamen non esset pluralitas personarum in diuinis, sequeretur, quod Deus esset solus, vel solitarius. Non enim tollitur solitudo per associationem alicuius, quod est extraneæ naturæ. Dicitur enim aliquis solus esse in horto, quamuis sint ibi multe plantæ & animalia. Et similiter diceretur Deus esse solus vel solitarius, Angelis, & hominibus cum eo existentibus, si non essent in diuinis personæ plures. Consociatio igitur Angelorum, & animarum non excludit solitudinem absolutam a diuinis, multo minus solitudinem respectiuam, & per comparisonem ad aliquod prædicatum.

Ad secundum dicendum, quod hæc dictio, solus, proprie loquendo, non ponitur

nitur ex parte prædicati, quod sumitur formaliter. Respicit enim suppositum, in quantum excludit aliud suppositum ab eo, cui adiungitur. Sed hoc aduerbiū tantum, cum sit exclusiū, potest poni ex parte subiecti, & ex parte prædicati. Possumus enim dicere tantum Socrates currit, id est, nullus alius. Et Socrates currit tantum, id est, nihil aliud facit. Vnde non proprie dici potest, pater est solus Deus: vel Trinitas est solus Deus: nisi forte ex parte prædicati intelligatur aliqua implicatio, vt dicatur Trinitas est Deus, qui est solus Deus. Et secundum hoc etiam posset esse vera ista, Pater est Deus, qui est solus Deus: si relatiūm referret prædicatum & nō suppositum. Augustinus autem cum dicit Patrem non esse solum Deum, sed Trinitatem esse solum Deum, loquitur expositiue, ac si diceret, cum dicitur, regi seculorum inuisibili, soli Deo, non esse exponendum de persona patris, sed de sola Trinitate.

Ad tertium dicendum, quod utroque modo potest hæc dictio, solus, adiungi termino essentiali. Hæc enim propositio, solus Deus est pater, est duplex: quia ly pater potest prædicare personam patris. Et sic est vera: non enim homo est illa persona. Vel potest prædicare relationem tantum. Et sic est falsa. Quia relatio paternitatis etiam in alijs inuenitur: licet non vniuocē. Similiter hæc est vera, solus Deus creat. Nec tamen sequitur: ergo solus pater. Quia, vt philosophia dicit, dictio exclusiua immobilizat terminum, cui adiungitur, vt nō possit fieri sub eo descensus pro aliquo suppositorum. Non enim sequitur, solus homo est animal rationale, mortale: ergo solus Socrates.

Conclusio est, Nomen solum si ponatur categorématique, vt Logici loquuntur, non potest de termino essentiali prædicari, vt si dicamus, Deus est solus: syncategorematicè vero addi potest, vt si dicamus, solus Deus est infinitus.

ARTICVLVS IV.

Vtrum dictio exclusiua possit adiungi termino personali.

AD quartum sic proceditur. Videtur, quod dictio exclusiua possit adiungi termino personali, etiam si prædicatum sit commune. Dicit enim Dominus ad patrem loquens, Ioan. 17. vt cognoscant te solum Deum verum. Ergo solus pater est Deus verus.

2. Præterea Matth. 2. dicitur. Nemo nouit filium nisi pater. Quod idem significat ac si diceretur, solus pater nouit filium. Sed nosse filium est commune. Ergo idem quod prius.

ARTIC. IV.

3. Præterea. Dictio exclusiua non excludit illud quod est de intellectu termini, cui adiungitur. Vnde non excludit patrem, neque vniuersale. Non enim sequitur, solus Socrates est albus: ergo manus eius non est alba, vel, ergo homo non est albus. Sed vna persona est in intellectu alterius, sicut pater in intellectu filij & e conuerso, non ergo per hoc quod dicitur, solus pater est Deus excluditur Filius, vel Spiritus sanctus. Et sic videtur hæc locutio esse vera.

4. Præterea. Ab Ecclesia cantatur. Tu solus altissimus Iesu Christe.

Sed contra. Hæc locutio, solus Pater est Deus, habet duas expositiōes, scilicet, pater est Deus, & nullus alius a patre est Deus. Sed hæc secūda est falsa, quia Filius alius est a Patre, qui est Deus. Ergo hæc est falsa, solus pater est Deus, & sic de similibus.

Respondeo dicendum, quod cum dicimus, solus Pater est Deus, hæc propositio potest habere multiplicem intellectu. Si enim solus ponat solitudinē circa patrem sic est falsa secundum quod sumitur categorématique. Secundum vero quod sumitur syncategorematicè, scilicet potest intelligi multipliciter. Quia si excludat a forma subiecti, sic est vera, vt sit sensus, solus pater est Deus, id est, ille cui quod nullus alius est Pater: est Deus. Et hoc modo exponit August. in 6. de Trinitate c. 1. dicit, Solum patrem dicimus, non quia comparatur a filio vel Spiritu sancto, sed hoc dicentes significamus, quod illi simul cum eo non sunt Pater. Sed hic sensus non habetur ex consueto modo loquendi nisi intellecta alia implicatione, vt si dicatur, ille qui solus dicitur Pater, est Deus. Secundum vero proprium sensum excludit a consortio prædicati. Et si hæc propositio est falsa, si excludit alium masculinē. Est autem vera, si excludit aliud neutraliter tantum. Quia filius est alius a patre, non tamen aliud, similiter & Spiritus sanctus. Sed quia hæc dictio, solus, respicit proprie subiectum (vt dictum est) magis so habet ad excludendum alium, quam aliud. Vnde non est extendenda talis locutio, sed pie exponenda, sicut inueniatur in authentica scriptura.

Ad primum ergo dicendum, quod cum dicimus, te solum Deum verum, non intelligitur de persona patris, sed de sola Trinitate, vt Augustinus exponit. Vnde intelligatur de persona patris non excluduntur alie personæ, propter essentialitatem prout ly solus excludit tantum aliud, vt dictum est.

Et similiter dicendum est ad secundum. Cum enim aliquid essentialiter dicitur de patre, non excluditur filius, vel Spiritus sanctus propter essentialitatem unitatem. Unde sciendum est, quod in autoritate predicta, hæc dictio, nemo, non idem est, quod nullus homo, quod videtur significare vocabulum. Non enim posset excipi persona patris: sed sumitur secundum usum loquendi distributive pro quacumque rationali natura.

Ad tertium dicendum, quod dictio exclusiva non excludit illa quæ sunt de intellectu termini cui adiungitur si non differunt secundum suppositum, ut pars, & uniuersale. Sed filius differt supposito a patre. Et ideo non est similis ratio.

Ad quartum dicendum, quod non dicimus absolute, quod solus filius sit altissimus, sed, quod solus sit altissimus cum Spiritu sancto in gloria Dei Patris.

Notatio circa Articulum.

Conclusio est. Quando predicatum est commune, ut Deus, Sapiens, &c. Nomen, solus non potest addi termino personali, quare dicere non possumus, Solus pater est Deus, nisi propositio reddat hunc sensum; ille, qui solus est pater, est Deus, qui sensus non est in usu. Circa hanc conclusionem advertendum est, ideo nos addidisse in conclusione verba illa, Quando predicatum est commune, ut Deus, etiam si expressè non habeatur in corpore, quia in titulo articuli ita habetur, & in eo casu controuersia est: titulum autem articuli intelligo, non qui præfixus est articulo, ille enim non fuit à S. Thoma posuit; sed, qui in ipso articulo ante initium primi argumenti insertus est. Quocirca in corpore solum disputat sanctus Doctor de particula, solus, in ea propositione, solus pater est Deus, in qua predicatum commune est: nam si predicatum esset personale, optime posset addi nomen, solus, ut in hac propositione, solus pater generat. Verum circa usum horum nominum, & aliorum, de quibus S. Thomas in art. 2. disputat, copiosius nobis statim differendum est.

DISPUTATIO CXXXI.

De vario nominum usu in mysterio Trinitatis.

De nominibus, idem, alius, & aliud, vnus, & vnum, cap. 1.
De nominibus diuersitatis, separationis, & vnionis, cap. 2.
De nominibus, triplex, & multiplex, cap. 3.
De vocibus, vnus lingularis, & solus, cap. 4.

CAPUT I.

De nominibus, idem, alius, & aliud, vnus, & vnum.

Quo pacto his nominibus vtendum sit, quando non prædicantur per se, sed veluti adiectum Trinitatis, vnus scilicet essentialiter in tribus personis, ignorare potest. Manifestum enim est, non posse dici, Patrem esse alium Deum à Filio, nec alium creatorem, &c. Sic enim significaretur

distinctio in essentiali. Atque ideo hunc modum loquendi improbant Sixtus Papa in Epistola, & Sixtus Pap. 6. Synodus actio. 11. in Epistola Sophronij: sed contra debemus dicere, Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum esse eundem Deum. Aut vero, cum adduntur nomina notionalia, debeat dici idem, vel alius Deus, dicemus infra disputat. 17. vtrum videlicet debeat dicere, Deus genuit alium Deum, an eundem Deum, ut ex eodem quædam.

Proponit autem auctor commentarij in librum Boethij de Trinitate apud Bedam tom. 8. columnam 1113. dubitationem, an prolata hac propositione, Pater est Deus, sit vera etiam hæc, idem est Deus Filius? respondet autem, distinctione opus esse. Si enim, (inquit) hoc totum supponatur, idem Deus, non est concedendum ne incidamus in Sabellianam hæresim, idem enim ad Patrem refertur, ac si dicat, quia præcessit illa propositio, Pater est Deus; cum addimus, idem Deus est Filius, vox, idem, ad Deum, ut de illo præcessit locutio, refertur videtur; hoc est, ad patrem, qui est Deus; & ita sensus est, Deus Pater est Deus Filius; quod est personas confundere. Aliiter autem (inquit) est, si vox, idem, non præponatur voci, Deus, sed postponatur, quod auctor ille dixit, si non opponatur, sed prædicetur; tunc enim vera erit propositio, ut si quis præmissa hac enuntiatione, Pater est Deus, subiungat hanc, Et Deus est idem Filius, vera erit, quia reddit hunc sensum, Deus cum Patre, alio autem modo prædicto sensus erat, Deus Pater est idem Deus; qui Filius, quæ duo diuersa esse existimat auctor ille eodem loco; cum vix vlla appareat differentia inter has, Deus Filius est idem Deus cum Patre, Deus Filius est idem Deus, qui Pater. Ego sane arbitror, cauendum esse, ne nomen idem, cum præcessit enuntiatio de aliqua persona, refertur videatur illam; sic enim non est dicendum, Et idem Deus est Filius, si tamen non refertur nisi nomen concretum Dei, concedi debet. Hoc autem discerni debet secundum regulas, quas tradimus infra disputat. 17. cap. 6. quoniam enim nomen, Deus, ponitur ex parte prædicati, etiam si de aliqua persona prædicetur, non supponitur pro persona, sed pro natura, ut in hac, Pater est Deus, quare cum postea additur, idem Deus est Filius, vox, idem, non videtur referre personam patris, sed naturam deitatis in concreto. Quando vero ponitur nomen, Deus, adiuncta aliqua voce notionali, quæ facit ipsum supponi pro persona, iuxta ea quæ ibidem dicemus, tunc non erit verum dicere, idem Deus est talis, vel talis persona, assignando aliam; ut si aliquis dicat, Pater est Deus generans, vel Deus generans est Pater, non licet subiungere, & idem Deus est Filius, quia tunc nomen, idem, refert Deum generantem, qui supponitur pro persona Patris.

Verum enim vero si nomina, alius, & aliud, ponatur per se, quod logici vocant categorematicè, est alius, & ut in hac propositione, Pater, vel est alius à Filio, vel alius, non est aliud à Filio, liquet etiam ex doctrina Patrum, & Conciliorum, quo modo loquendum sit; alius, aliud, enim masculinè distinctionem suppositi; aliud, vero neutraliter distinctionem naturæ denotat; ideoque licet asserere, Pater est alius à Filio, & in diuinitis est alius, & alius, non tamen est verum, Pater est aliud à Filio, vel, in diuinitis est, & aliud, & aliud. Colligitur in primis hæc doctrina ex Nouatiano præterito Romano apud Tertullianum lib. de Trinitate cap. 22. vbi docet, vnum, naturaliter refertur ad naturam, vnus, autem masculinè ad personam; idem

Dubium ex
commenta-
tore Boet.

Vera ref-
positio.

31

In diuinitis
est alius, &
aliud, &
aliud.

Nouatiano
Tertullian.